

ex eo quidam usque mane. Altera fuit tentatio, de qua post pauca in eodem loco dicitur: Sex diebus colligit: in die autem septima sabbatum est Domini, idcirco non invenitur. Venit autem septima dies: & egressi de populo ut colligerent, non invenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysen: usquequo non vultis servare mandata mea & legem meam? & cetera.

Sexta tentatio continetur in eo quod ait, & Hazeroth. Hazeroth vero civitas est solitudini vicina, & interpretatur villa: in cuius territorio, id est, in sepulchris concupiscentia, facta fuisse legitur secunda tentatio carnis, in qua etiam prima tentatio carnis completitur. De prima ita in libro Exodi legitur: Dixerunt Moyses & Aaron ad omnes filios Israel: Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Egypti, & mane videbitis gloriam Domini. Audivit enim murmur vestrum, nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Et post pauca. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Audivi murmuraciones filiorum Israel: Loquere ad eos: Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus, scietisque quod ego sum Dominus Deus vester. Factum est ergo vespere, & conscendens corum opertit castra.

De septima autem tentatione in Numeris dicitur: Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cum audisset iratus est, & accensus ignis Domini devoravit extremam partem castrorum. Et post pauca: Sanctificamini, cras etenim comedetis carnes. Ego autem audivi vos dicere, quis dabit nobis escas carnis? Bene nobis erat in Egypto. Dominus enim dabit vobis carnes & comedetis, non uno die nec duobus vel quinque, aut decem, aut viginti quidem: sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est: & sveritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus de Egypto? Item paulo post: Adhuc carnes erant inter dentes eorum: nec defecerat huiusmodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.

Octava tentatio continetur in eo quod ait: Ubi auri est plurimum. Notandum namque quod in Hebraeo, & abundantia auri habeatur. Abundantia auri intelligitur vitulus aureus, quem fabricati sunt filii Israel sibi in Deos, morante Moyses cum Domino in monte Sinai. Idcirco abundantia auri dicitur, quia in idolo moles omnium peccatorum consistit, & idolum pro omnibus peccatis abundat.

Nona tentatio continetur in eo quod ait: Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir. Quod in Hebraeo ita habetur: Undecim dierum iter de Horeb ad montem Seir. Fabricato itaque in Horeb idolo, undecimo die venerunt ad montem Seir, qui est in suburbano civitatis Cades barne, ubi filii Israel tentaverunt Dominum: sicut in libro Numerorum scribitur: Usquequo multitudo hac pessima murmurat contra me? Querelas filiorum Israel audivi. Dic ergo eis: Vi-vo ego dicit Dominus: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Et post paululum: Juxta numerum quadraginta dierum quibus consideratis terram, annus pro die computabitur: quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis ultionem meam, quoniam sicut locutus sum, sic faciam omni multitudi huic pessimae: quae consurrexit adversum me: in solitudine hac morietur & deficiet. Item: Locutus est Moyses universa hac ad filios Israel, & luxit populus nimis: & ecce mane primo surgentes ascenderunt verticem montis, & dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo locutus est Dominus, quia peccavimus. Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedit in prosperum? Nolite ascendere, non enim est Dominus in medio vestrum, ne corruiatis coram inimicis vestris. Itemque post pauca: At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini & Moyses non recesserunt de castris. Descendit Amalechites & Chanaanus qui habitabat in monte, & percussit eos atque concidens percussit eos usque Horma. Mons iste, in quo Amalechites & Chanaanus habitare dicuntur, mons Seir intelligitur, sicut in Deuteronomio scribitur: Itaque egressus Amorraus qui habitabat in montibus, & obviam veniens persecutus est vos: sicut solent apes persequi, & cecidit de Seir usque Horma.

Decima tentatio continetur in eo quod ait, usque Cades

barne. Haec tentatio fuit in Cades barne. Unde Moyses misit exploratores ad considerandam terram Chanaan: sicut in libro Numerorum dicitur. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Mitte viros qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel, & cetera. Et paulo post. Et dixit Dominus ad Moysen: Usquequo detrahet mihi populus iste? quo usque non credent mihi in omnibus signis quae feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia atque consumam: te autem faciam in gentem magnam. Iterum post paululum: Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, & omnia quae feci in Egypto & in solitudine, & tentaverunt me & cetera, non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum: nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. Nec moveatur quis quod a deserto Pharan non de Cades barne Moyses exploratores misit. Cades enim barne ipsa est Pharan: quod in libro Josue ita dicitur: Locutus est Capher ad Josue: Nosti quid locutus sit Deus ad Moysen hominem Dei de me & de te in Cades barne? Quadraginta annorum eram quando me misit Moyses famulus Domini ad terram considerandam.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Apparet hoc fragmentum esse ex Homiliis alicujus in psalmos mysticos: certe nihil habet Hieronymianum.

EXPLANATIO IN PSALMUM XLI.

OMNE psalterium sagaci mente perlustrans: nusquam invenio quod filii Chore alicuius triste cantaverint. Semper in psalmis eorum leta sunt & jucunda: semper terrenis humilibusque contemptis, caelestia & aeterna desiderant: congruentes interpretationi nominis sui. Siquidem Chore interpretatur calvitia. Quia ergo Dominus noster in loco calvariae crucifixus est & sepultus, quicumque in cruce ejus credunt & in resurrectione, in filii Chore, id est, Filii Calvariae nominantur. Super qua Calvaria Dominus noster Jesus post resurrectionem ad caelorum regna conscendens, irridentur a parvulis & ab incredulis Judaeorum. Sed Eliseum irridentes urti comederunt. Hoc de titulo scriptum dixisse sufficiat: nunc ad psalmi principium revertamur. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Cervorum natura est ut serpentum venena contemnunt: quin potius naribus suis eos extrahunt de cavernis: ut interficiant atque dilacerent. Cum venenum coeperit intrinsecus aestuare, & quamvis eos non possit occidere: tamen sitis ardorem & incendium tolerat: tunc illi fontes desiderant, & purissimis aquis, ferventia venena restinguunt.

Quomodo itaque illi cervi desiderant fontes aquarum: ita illi qui de Egypto & de saeculo recedentes interfecerunt Pharaonem in aquis suis: & omnem exercitum ejus in baptismo necaverunt: post interfectionem diaboli, desiderant fontes Ecclesiae, Patrem & Filium & Spiritum sanctum. De patre quod sit fons, scribitur in Jeremia: Me dimiserunt fontem aquae vivae, & foderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam continere. De filio quodam in loco legitur: Dereliquerunt fontem sapientiae. Porro de Spiritu sancto: Qui biberit de aqua, quam ego dederam ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam: statim exponitur Evangelista dicente: quod ex Spiritu sancto sermo fuerit salvatoris.

Ex quo manifestissime liquet tres in Ecclesia fontes esse trinitatis mysterium. Hos desiderat anima credentis: hos desiderat anima baptizantis, & dicit: Sitivit anima mea in Deum fontem vivum. Non enim leviter videre voluit Deum: sed toto desiderabat ardore, toto sitivit incendio, antequam baptismum consequeretur. Loquebantur inter se invicem atque dicebant: Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Ecce fratres demum impletum est, quod petebam: Venerunt & steterunt ante faciem Dei: apparuerunt ante faciem altaris, & mysterium intellexerunt. Hoc enim non merentur videre, nisi illi qui ex conscientia, & ex imo proferunt corde memorantes: Fuerunt mihi lachrymae mea panes die ac nocte. Per omnem enim quadragiesimam vacaverunt orationi atque jejuniis: in sacco & cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum confessione quaerentes. Sed quia fuderunt lachrymas & fuerunt tristes, dicitur eis: Qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Et, beati lugentes,

quoniam ipsi consolabuntur. Pro quibus universis, cum illis diabolus insultaret & diceret: Ubi est Deus tuus? admisti & in vitali fonte renati, confidenter loquuntur: Transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

Domus Dei Ecclesia est: hoc est admirabile tabernaculum: quia habitat in eo vox exultationis & confessionis & sonus epulantis. Gaudet quippe sub fide & consecutione vitae aeternae, quam fratres nostri nunc accipere meruerunt, ut angeli in caelis omnesque virtutes. Si enim super uno peccatore agente penitentiam, & in una ovicula morbida quae pastoris humeris est recepta, gaudent angeli atque letantur: quanto magis in tot fratribus in tali gurgite renatis atque mundatis, universa exultant regna caelorum, videntia homines veteri peccatorum labe purgatos suo incolatui preparari?

Dicite ergo qui Christum nunc induiti estis, & ductum nostrum sequentes, qui quasi pisciculus hamo, ita sermone Dei de gurgite saeculi istius sublevamini: in nobis rerum natura mutata est. Pisces enim qui de mari extracti fuerunt, moriuntur. Nos autem ideo Apostoli de mundi istius mari extraxerunt atque piscati sunt: ut vivi ex mortuis fieremus. Quamdiu eramus in hoc saeculo, oculi nostri in profundo, & vita nostra versabatur in aeno: postquam de fluctibus crepti fuimus, cepimus solem videre, cepimus verum lumen aspiciere, & praenimio gaudio conturbati, ad animam nostram dicimus: Spera in Deo, quoniam confitebor illi: salutare vultus mei & Deus meus. Et deinceps. Propterea memor ero tui de terra Jordanis & Hermonim a monte modico. Abyssus abyssum invocat. Et nos de terra Jordanis, id est de flumine ubi Dominus baptizatus est, & Hermonim: hoc est de saeculi hujus maledictione, quoniam Hermon interpretatur anathema, & de monte modico hujus mundi: quamvis enim aliquis sanctus sit: dum in isto versatur saeculo, non est in monte grandis atque sublimi: sed in monte modico atque humili, clamamus ad Dominum, & profundum ipsius scripturarum sensum de aliis scripturarum testimoniis interpretamur. Quidquid in abscondito veteris testamenti non possumus invenire, hoc de abscondito novi Testamenti solvimus in voce cataractarum Dei, hoc est prophetarum ipsius & Apostolorum. Omnia excelsa Domini, & fluctus ipsius, & impetus fluminis qui latificat civitatem Dei, super nos transierunt in Christo Jesu, cui est honor & gloria in saecula saeculorum. Amen.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Ejusdem est farina, cum homilia qua proxime praecessit, & eundem sapit auctorem.

EXPLANATIO IN PSALMUM CXVII.

IN omni psalmo Dominus noster Jesus Christus prophatur atque canitur. Siquidem ipse habet clavem David quae aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit: Sed praecipue in centesimo decimo septimo psalmo, qui nunc psallendo lectus est resurrectionis mysterium praedicatur. Hic enim psalmus, in quo a Spiritu sancto praesignati vocantur ad confitendum Domino in laude: vel ad confessionem gentium veri Israelitae in penitentia veri sacerdotis Aaron domus, quod est in Ecclesia: sive generaliter omnes timentes Deum recte pro tantis muneribus pietatis patris qui filio suo non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, a confessione incipitur. Quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus. Quis enim nostrum poterit esse considerans ea quae in eo quotidie exultans canit Ecclesia: hoc est passionem Domini Salvatoris, resurrectionem sive ascensionem: & non magis erumpat in voce, compos illorum parvulorum effectus, Domino cum ramis & palmis exultantium: O Domine salvos nos fac, o Domine bene prosperare. Unde & ipse victor ad patrem ascendens imperat angelis, dicens: Aperite mihi portas justitiae: & ingressus in eas confitebor Domino. Hae sunt portae, de quibus in vicesimo tertio psalmo inter se invicem angeli loquebantur, ingressum Domino praeparantes. Levate portas principes vestras, & elevamini portae aeternales, & introibit rex gloria. Sed pulchre levati jubentur portae, & in sublime erigi. Siquidem juxta dispen-

sationem carnis, & mysterium & victoriam crucis, major regreditur ad caelos, quam ad terras venerat. Haec porta Domini, iusti intrabunt per eam. Per hanc portam ingressus est Petrus, ingressus est Paulus, ingressi sunt omnes Apostoli, ingressi sunt & martyres, & quotidie sancti quique ingrediuntur. Per hanc portam primus latro cum Domino ingressus est.

Habetote fiduciam, & vos sperate similia. Sic enim ipse Apostolus dixit: Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus in dextera Dei sedet. Non dicit hic psalmus, soli Apostoli, soli Prophetae & martyres intrabunt per eam: sed iusti introibunt per eam. Quicumque ergo iuste agit, & inter iustos Domini esse meruit, fideliter agat in eo sperans, quia intrabit per hanc portam. Quia Dominus non quaerit sanguinem confitentium: sed fidem pro qua sanguis effunditur credentium. Si habuerimus fidem quae potest sanguinem fundere, imputabitur nobis & cruoris effusio. O vere infelices Judaei: o miseri atque miserabiles lapidem qui per Isaiam reprobissus est, quod poneretur in fundamentis Sion, & populum utrumque conungeret, esse Dominum Salvatorem, esse Filium Dei non agnovistis. Hunc vos reprobatis, adificantes quondam congregationem Domini, & Templi Dei mysteria custodientes: qui reprobus a vobis, factus est in caput anguli: & primam Ecclesiam de Judaeorum populo congregatam, & credentes ex nationibus in unum gregem & ministerium foederavit. A Domino factum est illud: hoc est mirabile in oculis nostris: ut nos qui ante passionem Domini sine testamento eram exleges, adoptaremur in filios Dei: & priori cingulo putrescente, aliud sibi Deus lumbare contexeret, alium populum prepararet.

Vos ergo Judaei habetis scripturam, vos legis libros, & nos in eum qui in eis scriptus est libris, ipsum adorantes, credimus. Vos tenetis paginas, nos sensum paginarum. Vos complicatis membranas animalium mortuorum, nos possidemus spiritum vivificantem. Quid mirabilius potest esse istiusmodi sacramento? Quid hac die felicius, in qua Dominus Judaeis mortuus est, nobis surrexit? In qua synagoga cultus occubuit, & est ortus Ecclesiae: in qua nos homines fecit secum surgere, & vivere, & sedere in caelestibus. Et impletum est illud quod ipse dixit in Evangelio: Cum autem exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me. Haec est dies quam fecit Dominus, exultemus & letemur in ea. Omnes dies quidem fecit Dominus, sed ceteri dies possunt esse Judaeorum, possunt esse haereticorum, possunt esse gentilium.

Dies dominica, dies resurrectionis, dies Christianorum, dies nostra est. Unde & dominica dicitur: quia in ea Dominus victor ascendit ad patrem. Quod si a gentilibus dies solis vocatur, & hoc nos libentissime constitemur. Hodie enim lux mundi orta est, hodie sol iustitiae ortus est, in cuius pensis est sanitas. Nunquid sol pennas habet? Respondeant Judaei, & qui tantum secundum literas scripturas intelligunt similes Judaeorum. Nos autem dicimus, quicumque sub alis istius solis fuerit, qui dixit in Evangelio: Quoties volui congregare filios tuos, quasi gallina pullos suos sub alas, & noluit? iste securus erit ab accipitri diabolo, ab aquilis volantibus in Ezechiele, & omnia peccatorum ejus vulnera sanabuntur.

Ut autem sciat fratres mei quod proprie psalmus iste de Domino scriptus est: & in Evangelio pueri, sicut meminimus, qui intrante Ierosolymam salvatore palmas levantes, clamaverunt atque dixerunt: Osanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis: de centesimo decimo septimo psalmo istos versiculos assumpserunt: O Domine salvum me fac. In Hebraeo scribitur, HOSIANNIA. Unde & Judaei impatienter ferentes voluit prohibere parvulos: de quibus in Isaiam loquebatur Dominus: Ecce ego & pueri mei quos mihi dedit Dominus. Tacentibus enim senibus & invidie livore cruciatis, parvuli clamant & Christum parvuli confitentur. Quod si & illi tacuissent, lapides utique clamarent, id est, gentilium populus: de quibus in Evangelio scriptum est: Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae: nos significans qui duro quondam corde fuimus: sed nunc credentes in Christo Jesu in filios Abraham, in filios Dei omnipotentis, adoptati sumus per ipsum Dominum: cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.